

re facturum me arbitror, si rationes alias Astronomorum in medium adducam, ex quibus conuenientia maxima huiusce ordinis elucefcet.

Quod igitur Luna infimo in loco fit poſita, hac ratione demonſtrari poteſt. Corpus lucidū, quo altius & remotius ē a corpore opaco, ceteris paribus, eo umbra corporis o paci minor apparet, & quo propius eſt terræ corpus Luminofum, eo longior rem umbrā habet corpus opacum, vt videre licet in hac figura; In qua



vt vtrunq; aſtrum eandem habet altitudinē ſupra Horizontem *AB*, reſpectu centri mundi, id eſt, obtinet eiuſdem locum verum reſpectu Horizontis, quamuis in viſo loco diſcrepent, & tamen inferius aſtrum longius projicit umbram gnomonis *CD*. puta in punctum *E*; quam ſuperius, quod umbram eiuſdem gnomonis tantum projicit in punctum *F*: At qui umbra gnomonis erecti ſplendente Sole minor eſt, quam umbra eiuſdem gnomonis, Luna lucente, ceteris omnibus paribus exiſtentibus, id eſt, equalibus cum ſole gradibus, diuerſo tamen tēpore, ab Horizonte diſtante, quod facile quiniſ experiri poterit, ſi ſignetur tempore æqui noctij altitudo Solis meridiana, Sole videlicet tenente principium Υ , aut Δ que altitudo Romę eſt fere grad. 48. noteturque in aliquo plano gnomonis umbra. Poſtea idem fiat Luna exiſtente in eodem loco Zodiaci, in quo ante fuit Sol, hoc eſt in principio Υ vel Δ , & tenente iam meridianum circulum, carenteque omni latitudine. Deprehendetur namque umbra gnomonis ſplendente Luna multo longior, quam lucente Sole, cum tamen altitudo, ſeu diſtantiā vtriuſque planetę ab Horizonte ſit eadem, nimirū gr. 48. reſpectu centri terrę. Sequitur igitur ſphęram Solis longe eſſe ſuperiorem, quam ſit ſphęra Lunę. Idem quod de Luna reſpectu Solis diximus, accomodari poteſt reſpectu aliorum planetarum; Quamuis enim alij planetę non ita ſplendeāt, vt umbras projiciant, ſciri tamen poteſt, quantum eorum radij per gnomonis verticē projiciantur. Quam ob rem citra omnem controuerſiam conſtat, Lunā omnibus eſſe planetis inferiorem.

Quam etiam conuenienter Sol ſupra Mercurium, & Venerem, id eſt, in medio planetarum ſtatuatur, hanc rationem aſſert Ioan. de Regiom. Ptolemęus Diſt. 5. cap. 15. a quo non multum diſſentit Albate-